

farum obtinuisse, ut omnia, quæ ministris deinde regie domus distribuerentur, mensæ prius regie imposita essent; nemo enim, qui Regi serviret, nisi de cibo Regi apposito alebatur (k). Peculiaris erat pariter mensa Genio Regis, dapibus aliisque necessariis, instar regie mensæ, instructa. Ita & Deus in parata sibi mensa panes propositionis perpetuos apponi, vino adjecto, præcepit: quemadmodum & holocausta matutina, & vespertina, quotidie in limine Tabernaculi offerenda.

Quod autem altam de Sanctitate sua, rerumque sacrarum religione Hebræis inderet existimationem; vel ipsas, quæ invitis obrepserant, maculas stas sacrificiis & precibus eluendas præscribit. His verò legalibus maculis si quis pollueretur, continuo à sacris tractandis arcebat, atque si quis prudens Tabernaculi religionem legali aliqua maculâ violasset, huic capitali supplicio crimen eluendum erat. Populus universus eâ disciplinâ in castris Tabernaculo circumfusis detinebatur; quasi scilicet in aula sui Principis, vel sub ipsius Regis oculis positus esset. Nec sanè ejus disciplinæ aliam assignat causam Deus, quàm quod ipsius Dei oculis subjicerentur: *Sancti estote, ait, (l) quia ego Sanctus sum; nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundis sitis. Docebitis filios Israel, ait Deus ad Moysen, ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint Tabernaculum meum, quod est inter eos.* Jubet etiam, singulis annis, die solemnibus Expiationis, expiari Sanctuarium ab immunditatis filiorum Israel (m). Hæc itaque plurium legalium caeremoniarum unica ratio occurrit, quarum alioquin plurimæ futiles essent, & vanæ, nisi grandioribus hisce divinis ideis servirent. Quid enim aliud tanto rerum terrore, & apparatu insinuavit Legislator, quàm ut per externas significationes intimam puræ mentis sanctitatem magis magisque commendaret?

Illud etiam animadversione dignum est, eundem, qui legem ad populum tulit, Dominum, æquè se Deum ac Regem exhibuisse. Cum enim absolutissimas & æquissimas morales leges statueret; cum legis naturalis præcepta evolveret, atque mortalium in Deum officia explicaret omnia; cum latentium criminum ultionem in se reciperet; cum impune apud homines peccantes sibi poenas duros profiteretur, quid nisi Divinam exerit auctoritatem? Regiâ verò potestate politiam universam dirigit, Leges ad Reipublicæ administrationem aptas ita præscribit, ut ne minima quidem, ad subditorum captum & imbecillitatem sese accomodans, negligat. Caveo tamen eas leges nihil ad perfectionem reliqui habuisse credas; non enim omnem quæ Deum decebat, perfectionem, sed omnem pro imbecilli populo discretionem præferunt. Plura sanè tanquam Princeps & Rex Hebræorum tolerat, quæ Deus & Judex reprobatur atque condemnat; uti usuras in alienigenas, polygamiam, divor-

tium, quæ scilicet omnia naturali lege interduntur. Nonnunquam etiam pro data occasione, prava quædam insinuasse videtur, uti cum Hebræos commodatò sibi Ægyptiorum res postere, easque abducere præcipit. Qua tamen in re, juxta ac Vir summus observat (n), jus Dei, mortalium omnium Regis, quod aliquandò jus per homines exercet, à jure hominum inter se distinguamus oportet. Quare si populus, proprio usus jure, Ægyptiorum res subripisset, meritò quidem violatæ justitiæ reus haberetur; ab omni autem crimine jure est absolvendus, quæ scilicet non nisi Dei præcipientis jussa executioni mandaret. Deo enim præcipiente, furti crimen nullum est. Paria de præcepto Divino in Chanaanæorum exterminio philosophari licet, quamquam enim nullâ ab iis gentibus acceptâ injuriâ Hebræi in bellum provocarentur, Deus tamen pro suo in Orbem universum jure illos ad Chanaanæorum exterminium, quorum statuerat exitium, ultionis suæ illos ministros armavit.

Interdum majestatem suam Deus ad Leges quasdam demittit, quas seorsum spectatas, vix dignas, ut unum corpus cum cæteris Dei legibus constituent, judicemus; eas tamen, si una cum cæteris conjunctas inspicimus, integram quoddam, & constantis juris systema constituunt, præ cæteris eò usque ab hominibus latis absolutissimum. Plures etiam ex iis legibus alio quàm literali atque obvio sensu explicandæ sunt, cum abditam atque allegoricam significationem sub eo verborum involucro Legislator occultaverit, quò vitia quædam cautius redarguerentur, atque vetarentur. In hunc sensum muliebre indumentum viris, & vicissim virile foeminis interdicitur; vetitum etiam agrum ferere diverso semine, atque contextam lino lanæque simul vestem gestare &c. Paria in præceptis quibusdam tradendis observasse Philosophos quosdam, ambagibus aliquando atque mysteriis sententias suas obvolventes, scimus.

Quod autem latas à Deo leges, & Legislatorem ipsum cæteris præfert, illud est, nimirum Legislatores cæteros politiam tantum, atque Rempublicam spectasse; de Religione nihil curantes, nisi si quid paci, atque felicitati Reipublicæ conferre animadvertissent. Accidit etiam non rarò, ut populos in rebus omnibus Religionis rudes omnino reliquerint, evellere avitos de natura Divina ejusque cultu errores, consultò negligentis: quasi scilicet error & superstitio continendis in fidem populis, quàm veri Dei cognitio & veritatum ipsius exercitium, plus contulissent. Plato Dei occulta mysteria populo detegere è re esse non censuit [o]. Oppositâ planè ratione latæ à Deo leges nihil habent antiquius, quàm ut de Religione decernant, cætera habent accessoria; in unum Deum omnia referunt. In eo populi totiusque Reipublicæ felicitas, in eo universi Regni robor constituitur, si ea, quæ ad veram Religionem pertinent, salva sint omnia.

n Grot. Proleg. lib. de jure belli & pac. Distinguiamus accuratè jus Dei, quod Deus per homines aliquando exercitur, & jus hominum inter se. Idem l. i. c. i. Si Deus res alicui auferri præcipiat, non licitum est furtum: quæ vox vitium involvit, sed non erit furtum, quod rerum supremo Domino auctor sit.

o Apud Joseph. Antiq. l. 2. c. 20. tr. Appion.

Alterum, in quo planè Legislatores prophani & Hebræus dissentiant, illud est, nimirum Legislatores humanos leges tradidisse, quibus ad perfectionem reliqui esset plurimum; ut proinde ab implendo Legislatoris nomine plurimum abfuerint. Moyses verò, sive Deus Moysis ministerio, omnes Legislatoris numeros explet; quippe qui absolutissimum legum corpus tradiderit.

Docendi morum scientiam, atque præscribendarum disciplinæ regularum duplex est ratio; per præcepta scilicet, & per exercitationem, cum ad normam traditæ legis subditi exercerentur. Alterutrum ex his docendi generis cæteri Legislatores selegerunt; nemo utrumque junxit, ait Josephus (p). Lacedæmones, & Cretenses moralem doctrinam exercitatione docentes, præcepta negligebant; Athenienses, & Græci omnia ad præcepta, nihil ad exercitationem deferbant. Moyses utrumque junxit; legibus namque, & præceptis ita mores direxit, ut generales leges ad singulorum etiam mores adtemperarit, quæ cuique peculiaris essent, nullâ re eorum arbitrio relicta, decernens. Sux de ciborum qualitate leges; suæ de quiete, & labore, suæ tandem de omnibus, ut maternâ quædam charitate de minimis quibusque filiorum, & domesticorum indigentis lex providisse videatur. Ne quis autem ignorantiam causetur, cautum est, ut singulis septimanis unâ saltem die ad studium legis, & ad ejus lectionem in coetibus Religiosis auctoritatem se conferant. Factum inde, ait idem Scriptor, ut alta illa de legibus, officisque suis oblitio, quæ universas latè gentes tenet, nulla sit apud Judæos; una apud illos, & constantis de Divinitate sententia, qua in re cæteræ inter se gentes committuntur. Hinc etiam constant illa morum observantia, de qua nobis apud cæteros invidia creatur. Cum enim latam à nobis Deo auctore legem tenere persuasum habeamus, ne lato quidem ungue ab ea recedere patimur. Quid equidem melius, quid sanctius, quid æquius decerni potuisset? In eo tota Religionis, Legumque nostrarum ratio versatur, ut Deum agnoscat summè perfectum, beatissimum, omnia continentem, sibi sufficientem, qui principium sit, medium, omniumque rerum finis; bonorum item fons, atque prodigiorum auctor. Is porro Deus, quamquam alioqui in operibus suis non obscure agnitus, hominum tamen captum nimis excedit, quippe qui naturâ, & Majestate suâ inscrutabilis habeatur. Hujus autem imaginem nihil, quod sensibus subiciatur, exprimere, nulla cogitantis idea exhibere valet. Huic, cui nihil sanctitate & bonitate par, inhærendum, committendumque; ut virtutum exercitio oculis ipsi placeamus. Hæc purissima, hæc unice vera Religio: Cultus exterior, & sacrificia in Lege præscripta, pura sunt omnia, nihilque cum scelestis Paganorum facris habent commune. Vota Deo nuncupari non bonorum postulandorum necessitas jubet, Deus est enim naturâ munificus,

sed ne illis fortasse abutamur, votorum nuncupatione postulamus. Nihil est, quod ad legum Mosaicarum æquitatem desideremus in iis, quæ de nuptiis præscribit; sicut & de mutuis parentum cum liberis, Conjugum, Dominorum cum Familis, subditorum tum inter se cum etiam in Principem officiis; quæ planè omnia Deum Legum auctorem demonstrant.

Quandò verò Lex Mosaica prophanis cæteris præest, tantò novè per Jesum Christum & Apostolos late concedit. Licet enim plura sint in utraque Lege consona, neque altera alteri repugnare, sive cum aliquid præcipiunt, sive cum interdicit, convincantur; fateamur tamen oportet, Jesu Christi Legem id perfectionis attingere, ut ei plurimum Lex Mosaica concedat: quæ scilicet Moyses levi tantum brachio motus fuerat, hæc Jesus numeris omnibus absolvit. Hinc plurima in Lege permixta, in Evangelio prohibentur; plura etiam, quæ sive Moyses evellere non valuit, sive Hebræorum Doctores detortis Legis verbis plantaverant, unâ Evangelii Lege præcitantur; vana etiam nonnulla, melioribus substitutis, loco cedere jussa sunt. Sacerdotium, Sacrificia, & caeremoniæ legales abrogantur, quod scilicet & augustius Sacerdotium, & præstantiora Sacramenta, & caeremoniæ sanctiores, & efficacius Sacrificium constituerentur. Figuras tandem, & umbras veritati concessisse par erat. Mosaica Lex, ad Jesum Christum veluti pedagogus deducens (q), in illo sistebat. Quidquid justum, bonum, perfectum in Lege Mosaica sancitum est, illud in Evangelica perficitur atque explicatur; quidquid etiam mali, charitati & rationi repugnans per Moysen interdictum est, illud etiam per Jesum Christum graviorebus verbis, poenis, strictiorique præcepto prohibetur; quidquid tandem in illa mali, necessitatis obtentu, vel saltem quidquid minus boni toleratur; in hac planè succiditur. Quare nullum in lege Christi divortium, nulla polygamia, lex talionis, atque in alienigenas usura nulla. Frigida illa distinctio domestici, & alienigenæ exulare jubetur. Nec ultra Deus bonitatis atque misericordiæ suæ largitatem cæteris denegans, in unam tantum gentem atque Regnum profundit; omnes æquè gentes eodem simul foedere eademque Ecclesiâ censentur. Idem amicitia, atque fraternæ charitatis vinculum mortales omnes colligat; quippe qui ad eandem omnes familiam sub uno patre, eodemque communi fratre Jesu Christo, cujus sanguine redempti sunt, cujus morte gratia & salutis capaces effecti sunt, pertineant.

Tantarum veritatum veluti semina jecerat olim Moyses; sed literæ cortice obvoluta latebant. Lumina erant sub modio, & in obscuro quodam loco ardentes faces. Crassum quoddam velum super Mosaicis libros oppansum, Israelitas carnales arcebat, veluti litera quædam mortua: proinde Legem habebant Judæi, veluti Lex imperfecta, importabile jugum, præcepta non bona, imbecilliora mandata, & frustra-

k Athen. l. 6. c. 14.

l Levit. 11. 43. 44. & 15. 31.

m Levit. 16. 16.

q Galat. 3. 25.

Hebr. 7. 19. Nihil ad per-
fectum addu-
cit lex. Exech.
20. 25. Dedi
eis praecepta
non bona, &
iudicia in qui-
bus non vi-
vent. Hebr. 7.
18. Reproba-
tio fit prae-
cedentis manda-
ti, propter in-
firmam
ejus, & inuti-
litatem.

Sueton. in
Tiber. c. 36.

Levit. 18. 2.
3.
4. Deut. 12. 30.
31.
x Exod. 8. 26.

Gen. 43. 32.

franca, ideo tandem rejecta, quod in-
criminum mortem prolapsis opem vitam-
que conferre non possent (r). Is Moyses
Legis status, Jesum Christum respiciens;
is etiam dum Hebraeos spectat; Hebraeos,
inquam, qui ad novum foedus, neque cor-
dis habitudine, neque fidei & spei vivi-
dioris affinitate pertinebant.

In examen modò revocanda est agitata
jam inter multos quaestio; an scilicet Lex
Judgorum ad Aegyptiarum imitationem
expressa sit; seu potiùs Aegyptiorum ad
Judaicam.

Fixum itaque ratumque habendum est,
apud utriusque Gentis populos, plures
olim fuisse leges & caeremonias mutuà
affinitate conjunctissimas; nec defuerunt
inter Veteres, qui ex Hebraeis Aegyptiis-
que unum eundemque populum conficerent;
rati Hebraeos origine, non secus ac mori-
bus Aegyptios esse. Ita Pagani Judaicam
& Aegyptiam superstitionem nunquam non
jungunt. Cum superstitiones omnes exter-
nas Romà pellere visum est, eodem simul
decreto Judaei atque Aegyptii obvolvun-
tur: Caeremonias externas Aegyptios, Judai-
cosque ritus (s). Tacitus pariter Annal. 2.
Deis, sacris Aegyptiis, Judaicisque Urbe pollen-
dis. Viri plures, Antiquitatum Aegyptia-
carum peritissimi, nihil magis affine in-
rebus spectasse se unquam professi sunt,
quam utriusque hujus populi disciplinam:
Tantam habent ad ritus, sacrificia, caeremo-
nias, sacrasque disciplinas Aegyptiorum
affinitatem, ait Kircherius in Propyl. c. 2.
ut vel Aegyptios Hebraisantes, vel Hebraeos
Aegyptisantes fuisse dicas. Marshamus Can.
Aegypt. fac. 9. & Spencerus de legib. Hebr.
ritual. aliam, planè contrariam, & fortè
etiam aliquanto exorbitantem à recto, ter-
nentes viam, defenderunt, Judaicarum
caeremoniarum pleraeque ex Aegyptiis esse
repetendas.

Nemo planè dixerit, tantam inter in-
fensas alioquin gentes affinitatem fortui-
to casui deberi; quanquam fateamur oportet,
in ea de moribus utriusque gentis
disquisitione, hanc utriusque populi simul-
tatem pariter, & in legibus caeremoniis-
que affinitatem, negotii plurimum facessere.
Profitetur non semel Deus, reduendum
se electum populum suum à moribus &
superstitionibus Aegyptiorum; sive imita-
tione (t), sive commercio, & federe (u)
cum illis conjungi vetat; praecipit insuper,
ut ea, quibus Aegyptii cultum impendunt,
sibi immolent in sacrificium (x). His er-
go consiliis suis repugnasset Deus, si pa-
ria invexisset inter Judaeos, quae jam apud
Aegyptios fervarentur.

Nec minor erat Aegyptiorum à Judaeis
aversio, in tantum ut ne mensà quidem,
Josephi Patriarchae aetate, illos dignaren-
tur (y); creveritque deinde in dies odium,
ex quo potissimum Moyses Israellem, tan-
to Aegyptiorum dispendio, è captivitate re-
duxit. Infestos inter se utrosque populos
dissidere Josephus Historicus lib. 1. cont.
Appion non diffidetur; nec ab ea re ablu-
dit Herodotus lib. 2. cap. 78. testatus, legi-
bus suis Aegyptios ita inhaerere, ut alias

aliarum gentium admittere non paterentur;
quin & commercium illos cum exteris om-
nibus respuere, ne quid alienae superstitionis
recipere cogantur, testatur Charesmo
apud Porphyr. de abst. l. 4. Quis ergo fieri
potuisse crediderit, ut Religionis & su-
perstitionis à se inventae, itemque existima-
tionis suae tenax adeo populus, aliena
facile, & maxime Hebraica, quae non nisi
odio & contemptu prosequeretur, admit-
teret?

Israclitarum verò erga alias gentes ha-
bitudo alia planè erat, ac Aegyptiorum;
quanquam enim odio & contemptu cae-
teros averfarentur, suisque inhaerent mori-
bus; insitã tamen voluntatis propensio-
ne in idololatriam, & finitimarum sibi
gentium superstitiones ferebantur. Nihil
ea re frequentius in S. Scriptura, cujus
Libri, & maxime Prophetici, crebras exhi-
bent in Idololatrias Judaeos invectivas.
Sed, quod mirum est, ipsos, quos imita-
bantur Judaei, populos, incircumcisorum
nomine per summum contemptum tradu-
cebant. Judaeos tanquam insociabilem, &
à caeterorum commerciis alienam gen-
tem deseribunt Historici. Hæc de illis Ta-
citus lib. 5. hist. Moses, quo sibi in poste-
riam gentem firmaret, novos ritus contra-
riosque caeteris mortalibus indidit. Prophe-
na illis omnia, qua nos sacra: rursum con-
cessa apud illos, quae nobis incesta. . . Hi ritus,
quoquomodo indidit, antiquitate de-
fenduntur. Hæc sententiarum consiliorum-
que repugnantia, ritus planè diversos re-
pugnantisque, Baal pariter & veri Dei in
Hebraeos invexit; coegitque invitò pariter
& volentes, superstitionis communione
cum infensis alioqui, & despectis à segen-
tibus conjungi. Quibus ita se habentibus,
ex Aegyptiis potiùs expressae Judaicae cae-
remoniae reputari potuissent; quippe quae,
semel in populum inductae, cum excindi
non possent, in sacros usus traducerentur.

Si quis tamen has inter utrumque popu-
lum affinitatem pariter & similitatem aliã
planè ratione spectare voluerit, viam fa-
cile inibit, ut repugnantes in speciem dif-
ficultates conciliet. Vera itaque fecernan-
tur à falsis, certa ab incertis, quae iacta-
bunda Aegyptiorum vanitas, sive stulta,
Graecorum credulitas in Historias Aegy-
ptiorum, & Hebraeorum invexit commen-
ta, ab iis, quae in Historia Sacra Deo au-
thore referuntur; statimque, versa con-
troverse facie, Judaeos quidem pauca ab
Aegyptiis, Aegyptios verò à Judaei plura
derivasse intelligemus. Factum etiam de-
prehendemus non rarò, ut leges utrimque
repugnantes de industria, & emulationis
zelo rogarentur; quin & accidisse aliquan-
do, ut moribus & sententiis fortuito casu
convenirent. Quae quidem omnia ut plani-
us assequamur, utriusque gentis affines
inter se leges percurrentes sunt; simulque
curandum, ut sedulo tempora & momenta
omnia, quae utriusque Reipublicae statum
& politiam immutarnut, distinguantur.

Lata à Moysè leges omnes sive morales
sunt, sive judiciales, sive caeremoniales.
Moralibus faciendis unice spectatum ra-
tio.

tionis dictamen, sicut & insita illa bo-
ni malique, & Dei, ac sui ipsius gene-
ralis notio. Populos autem inter se mo-
ribus & genio licet infestissimos, in com-
munibus tamen erga Deum & proximum
officiis convenisse, quis jure miretur?

Leges judiciales ex ratione derivatae, ad
Reipublice politiam, atque universi po-
puli felicitatem collimant. Quare nullo
negocio fieri potuisse credimus, ut duo
Legislatores eundem sibi finem boni publici
praestitentes, sive contraria inter se, sive af-
finia duabus diffitis gentibus pro variis con-
dendarum legum circumstantiis, edixerint;
quanquam alioqui, neque de similibus, ne-
que de repugnantibus legibus praescribendis
vel semel quidem cogitaverint. Sive igitur
judiciales Hebraeorum leges ad Aegyptias ac-
cesserint, sive longo recesserint interval-
lo; Moysen tamen ad illas sive imitan-
das, sive averfandas respexisse (nisi si
quando contrariam planè sanctionem pra-
vis quibusdam corruptisque Aegyptiorum
moribus opponit) immeritò deducemus.

Caeremoniales denique Leges circa Re-
ligionem versantes, ita reputandae sunt,
quasi ex arbitrio & voluntate Legislato-
ris unice dependeant, Legislatoris, inquam,
non temere illas quidem, sed ad praesti-
tutum generalem finem omnes dirigen-
tis (z); singulas verò ita praescribentis,
ut rationem cur hæc potiùs, quam illa,
praescripserit, nemini reddere teneatur.

Itaque si Moyses novae constituendae
Religionis consilio cœtus indixit, & so-
lemnitates; si caeremonias item, & sacri-
ficia sicut & Sanctuarium ad cultum Do-
mini praescripserit; si tandem Sacerdotes
statuit & Altare; sique in rebus omni-
bus cum caeteris Legislatoribus paria mo-
lientibus, sine quibus homines in unum
Religionis corpus vix coirent, convenisse
deprehendatur, quis rogo inter prodigia
deputaverit? Ex quibus planè nemo jure
deduxit, omnes illos Legislatores, dum
politiam quisque suam molirentur, alte-
rum alterius imitationem affectasse: siqua
tamen non in Religione universa consti-
tuenda, sed in singulis caeremoniis & ri-
tibus peculiaribus affinitas & oppositio de-
prehendatur; aliter tunc sanè de illis phi-
losophandum, atque ita constituendum,
ut de industria planè, non fortuito casu
ita factum esse judicetur. Si affectata igitur
quaedam similitudo vel oppositio in
Hebraeorum & Aegyptiorum singulis cae-

2. Vid. S. Thom.
1. 2. q. 102. d.
cap. 2. usque
ad 3. & Rab.
Maim. par. 3.

remonis appareat, uti cum de Sacrificiis
agitur, de vestibus Sacerdotum, de sexu,
vellere, aetate, caeterisque victimarum con-
ditionibus; sicut & de forma ac structura
Altaris aliisque; ab unico Legislatoris
arbitrio dependentibus; hæc planè omnia
datà operã atque consilio inducta censenda
sunt. Cum enim legibus illis sola steterit
pro ratione Legislatoris voluntas, cur il-
lae potiùs, quam aliae sancitae fuerint, non
alia sanè ratio, quam in Legislatoris vo-
luntate querenda est. Si quid igitur ejus-
modi aliquando occurrat, atque inter duas
gentes varietas sive affinitas caeremonia-
rum observetur, id totum sive ex Le-
gislatoris, sive ex populi electione repe-
tendum est. Tota modò difficultatis vis in
eo vertitur, uter ex his populis in his cae-
remoniiis servandis jure vetustatis alteri
praescripserit. Scitum ex Scriptura (a),
Judaeos in Aegypto ad Idola declinasse,
quam faciem neque ab Aegypto seceden-
tes, neque iter per desertum facientes ab-
jecerant (b). Porro fictam hanc Numinum
religionem jam inde ante Israelitas in ea
provincia obtinuisse (c), ubi omnibus
succedentibus saeculis regnavit, atque ab
iis superstitionibus populum suum Domi-
num removere voluisse (d) nullus dubito.
Quae cum ita sint, continuo fateamur oportet,
caeremonias illas & ritus inter utro-
que populos diametro oppositas, non alio
apud Israelitas consilio inductas fuisse,
quam ut Aegyptiacis moribus adversa-
rentur.

Quod ad ritus apud utramque gentem
affines attinet, unã Patres conveniunt (e)
Diabolo illos authore, quem Divinitatis
simiam appellant, in Paganos ex Hebraeis
derivatos fuisse. Sed quo bono Satanas sa-
cras Dei caeremonias in Aegyptum inve-
xerit, quo insuper consilio Aegyptii infen-
sa sibi gentis mores adoptassent? Quid
quod Aegyptiorum Religio vetustate He-
braeam superat? Nonne insuper Hebraei an-
te egressum ex Aegypto ad Aegyptias su-
perstitiones declinaverant, quas etiam ab
ea provincia remoti nondum penitus ab-
jecerunt? Hebraei itaque Aegyptiorum po-
tiùs quam Aegyptii Hebraeorum plagarii
accusantur. Excipiamus tamen ritus non-
nullos oportet, quos Hebraei secum in
Aegyptum invexerunt, ut circumcissionem,
quam ex Hebraeis in eas gentes deriva-
tam supra demonstravimus (f).

a Josu. 24. 14.
Auferte Deos,
quibus servie-
runt Patres
vestri in Meso-
potamia, & in
Aegypto.
b Amos 5. 26.
Ezech. 22.
c Exod. 32.
d Vide ad Gen.
43. 16.

e Tertull. de
Praescr. A. Dia-
bolo scilicet
cujus sunt par-
tes interver-
tendi verita-
tem, qui ipsas
quoque res di-
vinorum Sa-
cramentorum,
in Idolorum
mysteriis amu-
latur. Vide &
S. Aug. Epist.
102. nov. Edit.
q. 3. num. 18.
20.

f Dissert. de
vetustate Cir-
cumcis.